



## The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **UAGADUGUENSIS - KUPELAËNSIS**  
**(KAYANAE)** \* AB ECCLESIIS UAGADUGUENSI ATQUE KUPELAËNSI

SEPARATO TERRITORIO CIVILLIS PROVINCIAE KAYANAE,

NOVA DIOECESIS EFFICITUR,

«KAYANA» NOMINE. Ad patrisfamilias similitudinem, qui in omnibus quae agit non nisi filiorum commoda respicit et prosperitatem et utilitatem, quos genuit summeque diligit, ita et Nos, in quibus filiorum Nostrorum christianorum amor fere in naturam vertit, quidquid facimus, aut gerimus, aut operamur, eo respicit ut vel medeamur malis, vel prospiciamus bonis: caritas enim Christi urget Nos (cf. 2 Cor. 5, 14), quemadmodum Apostolum Paulum commovebat. Cum ergo Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione visum sit ab Ecclesiis Uagaduguensi atque Kupelaënsi detracto territorio quodam novam dioecesim constituere, idque venerabilis Frater Ioannes Mariani bene fieri confirmaret, Archiepiscopus titulo Missuensis atque in Africa Occidentali Apostolicus Delegatus, itemque Ordinarii locorum Praesules, Nos, re aequo animo considerata, haec quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi Uagaduguensi et a dioecesi Kupelaënsi territorium separamus quod civilem provinciam Kayanam efficit, atque in formam novae dioecesis redigimus, *Kayanae* nempe, quam metropolitanae Sedi Uagaduguensi suffraganeam facimus, et clero saeculari, quem dicunt, committimus gubernandam. Sedes dioecesis et Episcopi domicilium in urbe Kayana erit, ibique cathedra episcopalis dignitatis collocabitur, in templo scilicet principe civitatis, quod cathedralis titulo honestamus. Censemus praeterea ut, si Canonici ad praesens eligi non possint per collegii Canoniorum constitutionem, eorum loco Consultores dioecesani sufficientur, qui Episcopum consilio et opera iuvent. Ceterum quae per has Litteras mandavimus venerabilis Frater Ioannes Mariani ad exitum adduci curabit, vel quem ipse delegaverit. Re autem peracta, documenta exarentur, sincerisque exemplis ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica

dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto et vicesimo mensis iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri septimo.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA	GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. R. E. Cancellarius	S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam* Regens Iosephus Rossi. Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Iosephus Massimi, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXII (1970), n. 1, pp. 24-25 © Copyright 1969 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana